

recensendis igitur Varronis verbis non ita raro a Keilio dissentendum esse mihi intellexisse visus sum. Nam quamvis illum plurima egregie correxisse nulla fere pagina non doceat, tamen non pauci loci fuerunt, quibus ad librorum scripturam redeundum esse putavi, levitatis et aequabilitatis studio cui multum ille tribuit abiecto: qua in re quod assensores inveni benevolos gaudeo. Ceterum quod in praefatione anni 1912 monui, novam editionem, cui nomen meum praescribi iusserat bibliopola, non desiisse Keilii esse, idem quo iure ad hanc editionem denuo emissam pertinere putem qui utentur ipsi perspicient. Unum est quod in hac praefatione monere placuit: scilicet me in rebus orthographicis archetypi scripturam ubi fieri potuit semper ita secutum esse, ut inconstantiae crimen minime fugiendum esse crederem. Admisi igitur, ut paucis exemplis utar, et *alvus* et *alvos*, nec expuli formas ut *maioris*, *minoris*, *praegnatioris* plurales, neque adsimilationem aut recompositionem quam dicunt secutus sum aut neglexi, nisi ubi in libro optimo aut fuit aut non fuit; saepius vero, cum Politianum in his rebus minus diligentem se praebuisse constet, etiam Parisini codicis vetusti testimonium sequendum esse putavi. Sed talia his verbis tetigisse satis sit. Unum habeo quod addam: si quae in praefatione adferentur quae ex instituta ratione ab apparatu brevissimo excludere debui, ea ne lectores effugerent stellula singulis ipsius apparatus numeris apposita prohibendum esse putavi.<sup>1)</sup> Excipiendae tamen fuerunt annotationes Ahlii (Michaelis Ahle, St. Ingbert 1909/10), quae cum serius in manus meas pervenissent, ab apparatu exclusae in sola praefatione locum invenerunt.

His quae praemitti volui absolutis pergo ad ea quae mihi et aliis olim et nunc addenda esse videbantur.

5, 31. *quo* ex *V* revocavi. *qua* Keil. — 7, 1. Inscriptio-  
nem ex p. 3 huc revocarunt editores. — 7, 12. In *ut* iterato  
(quod priore loco deleverat Keil cum Laur. 51, 4) offendendum  
esse negarunt W. A. Baehrens ('Beitr. z. l. Syntax' Philol. suppl.

1) Adde stellulam 49, 22.